

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

cent papatui, mihi tam infensum sit hoc genus hominum ut mihi propemodum nullum, quantumvis breve, iter sit satis tutum. Cujus me nuper diligentissime monuit D. D. Varnbülerus, qui Ratispona reversus, quæ insidiæ mihi paratæ essent, significavit, qui etiam iter Hagenoam dissuaserat, quod tamen ingressus sum, sic meo Principe volente & suadente. Hæc si non est sufficiens excusatio, aliam non possum asserre, & spero eam & tibi & Collegio tuo satisfacturam. Dominum testor, nihil esse fictum aut simulatum. Quamvis splendor officiorum me etiam deterrere debeat, quo nuper me officiis, humanitate, convivio propemodum oppressistis. Majora sunt certe vestræ erga me benevolentiae argumenta, quam ego illis respondere valeam. Sed ad hoc unice spectetis, fidem & expectationem vestram non fallam & ero vobis fidus amicus, per gratiam DEI omnibus diebus vitæ meæ, & ea officia vobis de me polliceamini, quæ possunt ab amicissimo proficisci. Reliqua in adventum tuum rejicio, Habes enim epistolam bene longam, sed raptim ut vides scriptam, ut opus sit literas colligere. Ejus ero ego interpres. Omnino enim spero, quod me sis ad tempus constitutum hic inventurus, cum multis bonis viris, qui tui nominis & honoris sunt studiosissimi. Bene & feliciter cum tua honestissima vale, quam & mea vicissim diligenter salutari jussit suo nomine. Tu universo Collegio vestro meo quoque nomine dicas salutem amicissimam. Similiter quoque D. D. Gremppio & aliis Dominis, quibus nomen meum non est ingratum. Intellego principes nostros vigilare ad rumorem sparsum de opprimendis Evangelicis. Quod si quid tentaverint, urgentur fato & judicium sibi accersunt, impietate & crudelitate sua meritum. De his & aliis coram. Iterum vale. Elslingæ, 27. Julii, 1567.

Tuus ex animo & Collegii Tui totus.

Jacobus Andræ.

CXXVII.

Salutem in Christo Jesu.

ET si paucis abhinc diebus ad te scripsi, Reverende & charissime frater, has tamen prioribus addere visum fuit literas, ut intelligas, mecum contulisse collegam tuum, qui refert, quam inclementer nos à Victorino tractemur. Hanc mihi rependit gratiam pro liberatione, quam ego illi impetravi, qui fortassis nondum evasisset. Qua voluntate sit in te, audies. Neminem quidquam sapere existimat, præter se solum. Dominus arrogantiam hominis punier horribiliter. Ex alio omnes

despicit superbus grammaticus, qui felicius in suo Pindaro nugaretur, quam in sacris prophanandis. DEUS illum modo perdat, qui Ecclesiae suae maximum malum dedit & porro dabit. Natus est ad turbas, tribunitium plane ingenium, quod nihil nisi laudem sui ipsius arroganter spirat. Occasione oblata ita tractabo eum, ut intelligat, me non desipere. Novi quis sit, non est, ut alios tantopere despiciat. Nec omnis eruditio in caecitate Homeri aut morosa obscuritate Pindari sita est. Nec indoctus centendus est, qui bonas horas in illis nugis non perdidit. Quin hortator ero nostris strenuus, ut Castalionis exemplum secuti, hanc stultitiam deplorent, quae à quibusdam judicatur summa sapientia; sicut videre licet in praefatione Homeri translatorum, quae mihi summopere probatur. Ego te cum sanctissimo tuo Collegio milles salvere jubeo. Bene & feliciter valete omnes. Esslingæ, pridie Calend. Augusti, 1567.

Tuus ex animo totus

Jacobus Andreae.



CXXXIIX.

Salutem in Christo.

Accepimus, Clarissime D. Doctor, duo exempla libri tui, quem ad afferendam Homini Christi Majestatem contra Cinglianos scripsisti. Primo omnium autem & nostro & Ecclesiae nomine agimus tibi maximas gratias, quod hunc primum laborem in te receperis: maxime verò, quod ad collectionem testimoniorum attinet Patrum, qui ab Adversariis nostris novi dogmatis authores audimus, cum haec sit longe omnium veritissima & antiquissima Doctrina, jam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia magno consensu omnium piorum tradita. Id quod quadraginta S. Patrum testimonio declaravisti, qui intra quingentos annos à Nativitate Christi vixerunt. Etsi autem veremur, ne quidam fastidiosi Lectores prolixitate scripti (quod certe ab omnibus legi optamus) deterreantur, tamen cum tibi visum fuerit explicationem addere & declarationem paulò uberiorem, ne hoc quidem nobis displicet. Quibus enim veritatis cognitio grata est, illis nihil prolixius esse potest, quod ad veritatem illustrandam suscipitur. Sanctorum Patrum testimonia dissimilia sunt, quaedam aperta, quaedam minus aperta, quaedam fortiter, quaedam minus fortiter pugnant. Sed in tanto numero satis est etiam pauca explicata & apertissima testimonia habere, quibus cum consentiant, quae minus explicata & paulò obscuriora videntur. Certum enim est, omnes pios à tempore Apostolorum hoc de Christo credidisse, quod nos pio consensu docemus, nec de dimidiato Christo cogitavisse, quem nobis Cingliani obrudere conantur. Adoramus

non